

Jesu celestis hominis imaginem portat (ut Apostolus subdit eo ad Corint. 1. capite) à Maire Virgine Deipara produsse efformatam ex aqua illa lateris Christi. Rationis trutinæ manda ea sancti Petri Damiani verba ferm. 1. de S. Joan. Evangel. De Maria Christi carnem suscepti; Ecclesia verò de late-

Ex Maria quo passio prodit Ecclesia.

ris sui carne produxit: magna igitur, & felix Mater est B. Virgo Maria, ex cujus visceribus, caro Christi desumpta est: ex qua rursus (attende & expende) per aquam & sanguinem profluxit Ecclesia; hoc itaque modo & ex Maria produsse videtur Ecclesia.

Petrus Damianus

Verf. 42. Dixi: Rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum.

ARGUMENTVM.

Evangelica Doctrina finis, & commoda.

Et tendunt tot Christianæ sapientiæ, & Evangelicæ Doctrinæ fluentia, rivi, trames, & aquæductus, ut Ecclesiam orthodoxam (primitivam præsertim) instar horti, pratique amœnissimi electis eximie gratiæ, & pulchritudinis plantis consitam, atque ad eò à Jesu & Maria in deliciis habitam, abundè satis irrigarent, ut sic non amœna solùm, sed sanctorum quoque fructuum feracissima reddatur.

TEXTVS ENODATIO.

Tigurina. 2367 Tigurina vertit: Cum dixi: Horto meo eximio potum dabo, justamque meam areolam irrigabo. Alia exemplaria Græca ita etiam habent, pro plantationum, supponentiæ egregium, optimum. Unde Complutenses: Potum dabo horto meo optimo, & inebriabo meam viriditatem justam. Camerarius ita præse: Ibi rigantur horti mei, & largiuntur bibunt prata mea. Syrus verò, Dixi: Rigabo hortum meum, & inebriabo cumilia mea, id est, areolas florum & aromatum. Sed quid est, areola justa? Justam dici, nonnulli putant, id est, justè & adæquatè dimensam & circumscriptam, uti in hortis areolæ florum solent latè in circulos, vel quadrata efformari, & laterculis circumscribi, ut justa omnium sit proportio & adæquatio. Drusus verò explicat, Justam, id est, largam. Sic pluvia justitiæ, id est, larga, copiosa: ex quo & illud; Dabo vobis pluviam ad justitiam; id est, largiunt, benignè. Intelligit verò aream fecundam; nam ea benignè reddit, quod accepit. Haud malè, imò bene, pro prati mei fructum, redditur areolam justam, id est, fecundam, largam, fructuosam.

Sanctus Verborum.

2368 Comparaverat incarnata Sapientia plenam perfectamque doctrinam suam fluvii copiosissimis, & aliis aquarum fluentis: quò hæc spectent, modò ostendit: ut nimirum irrigetur & inebrietur Ecclesia univèrsa, quæ ad instar horti, prati, seu areolæ amœnissimæ, omnes justorum status & gradus continet, qui fructus sanctitatis ferunt varios & uberimos. Hortus plantationum sancta est Ecclesia (ait Fuldenis Abbas) quem ipsa Veritas suo dogmate semper irrigat, & inebriat, ut fructum partus spiritualis (partus pro prati, legit Rabanus, ut etiam nonnulli alii ex veteribus) proferat, in doctrina catholica, & sacris virtutibus. Similiter Interlinealis. Lyranus ita: Rigabo hortum militantis Ecclesiæ, in quo Apostoli fuerunt plantule primæ: hæc verò plantulas rigavit Christus frequenter sua

Interlineal. Lyranus.

doctrinâ. Addit verò: Inebriabo partus mei fructus: id est, cæcum Apostolorum, & aliorum credentium in die Pentecostes abundantè mittendo Spiritus sancti donum, quæ abundantia, ebrietatis nomine designatur in Scriptura. Cantic. 5. & Actor. 2. Pari modo Palacius observat, verbo inebriabo designari dona Spiritus sancti, quibus Christus suam irrigat & inebriat Ecclesiam: aquæ enim sunt ad rigandum, & vinum ad inebriandum. Subdit: Quod autem dicit, inebriabo fructum, notat plantas Ecclesiæ non esse ficus folia tantum habentes, ut erant olim Pharisæi, sed esse fructiferas, fructus Spiritus ferentes. Et tunc maximè pios à musto Spiritus sancti inebriari cum fructus ferunt. Si vis videre ebrietatem hanc, Martyrum fervores considera. Quod abundè illustraveris ex dictis suprâ ad Verf. 35. 36. & 37.

Palacius

TEXTUS ILLUSTRATIO.

De Christo, ac Deipara.

2369 Triusque vox illa est: Rigabo hortum meum plantationum; inebriabo prati mei fructum. Omnis enim Christianæ Ecclesiæ culta amœnitas, grata fecunditas, felicissimaque florum & fructuum ubertas; nempe univèrsa gratiæ dona, justorumque varietas, quibus venustissimum hoc viridarium vestitur, ornatur, cumulat, Christo ac Deiparæ referenda sunt, qui Hortum hunc suum, Evangelicâ doctrinâ, quasi pelucidis fontibus, & fluminibus, ubertim irrigant, & inebriant. Quò spectant præjecta superius ad Versus 35. 36. & 37. ubi statumus, ab exundante Christi doctrinâ, infecundas Gentilitatis Regiones in terram uberem, fecundam & amœnam conversas fuisse. Vide etiam dicta ad V. 40. Pro Deipara verò signatim faciunt dicta ibidem in illustratione textus. His adde,

A Christo, & Deipara, irrigatio, fecunditas, & amœnitas totius Ecclesiæ.

2370 Ex Cantorum quarto, versu decimo quinto, ubi appellatur B. Virgo Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluent impetu de Libano. Cum intuitu ad fontem, qui ex monte Libano cum impetu scaturit, ac brevi spatio auctus in vehementem, cursuque velocem Fluvium excrevit, suisque aquis, quæ limpidiissimæ, frigidæ, & dulces sunt, omnes hortos (inde & fons hortorum vocatur) totamque regionem irrigat, & fecundat. Verba Adrichomii sunt in Descriptione Terræ sanctæ pagina 107. numero 48. qui addit, præter minores aliquot, in tres magnos rivos se hunc fontem dividere. Fluvium illum vehementem Josephus lib. 7. Belli cap. 24. Sabbaticum appellat, quia die Sabbathi copiosè fluebat, reliquis verò diebus

Cant. 4. 15.

Fluvius Sabbaticus.

diebus siccabatur, & arefcebat, non absque miraculo Virginem Matrem (ut multi piè arbitrantur) portedente nascituram, ut fluvium limpidiissimum, copiosissimumque, in die Sabbathi, vel ea signatim luce religiosissimè colendam. Fons igitur Deipara est in flumen magnum conversus. Fons hortorum, id est, singulorum fidelium, qui hortuli sunt amœni & fructiferi, tam pellucido fonte irrigui. Hujus verò fontis aqua est Sacra ipsa Scriptura, omnis Sacra & Evangelica doctrina ex Matre Virgine derivata. Fons ascendit ex te (ait Rupertus) cum omnibus aquis viventibus, id est, cum omnibus Scripturis veritatis veniens in te, & æternum sapientiæ fontem, sive puteum faciens in te ad irrigandum spirituales Paradisum. Subtexit arguè: Aqua Scripturarum dulcescunt ex utero tuo; sive per merum tuum viventes factæ: alias autem valde amara, & mortue sunt: littera enim occidit. Ecce quo jure Maria dixerit, se irrigaturam plantarium suum copiosis doctrinæ aquis, ut perpetuo vernet foliorum vestitu, florum ornatu, & fructuum ubertate.

Rupertus.

Amoris & Eucharistiæ vino inebriat Deipara areolam justam.

S. Bonav.

Joan. 2. 3.

S. Bernard.

2371 Primò speciatim translationem illam: Potum dabo horto meo optimo, eximio: cui si adjungas illud, & inebriabo prati mei fructum, sive areolam justam, profectò vini potus erit, quo inebriantur a Deipara fideles ei additi, & tantæ Matris studiosi. Erit, vel divini amoris vel Eucharistici sanguinis vinum quod à Virgine propinatur, uti à celestis curia Pincerna. Sic illum vocat S. Bonaventura in litaniis. Desiciente vino in nuptiis Cana Galilææ potentissima Virgo, quæ aderat, Filium rogat, dicens: Vinum non habent. Joan. 2. 3. Certè sollicita est, & de vino divini amoris, & de sanguinis Domini vino (juxta nonnullorum Patrum mentem) quo ipsa inebriatura erat suos clientes. Unum audi Bernardum ferm. 4. super Salve. Vinum non habent: necessaria nobis hæc vox est: defecit vinum in cadis nostris, vinum lactificans cor hominis; vinum, quod germinat Virgines. Hortum pincerna tu. Calix in manu tua vini meri in manu tua, in potestate tua: vini meri amo-

ris divini: Dic Domina mea, dic pro nobis filio tuo: Vinum non habent. Hoc vinum lactificat cor hominis: hoc à te, & per te speramus. Ecce vinum, quo suum potat & inebriat hortum Deipara, ut in virtutum fructus erumpat.

2372 Iterum trutinæ rationis manda illa verba Cant. 4. 15. Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluent impetu de Libano. Notanter dicitur, illa aquarum fluentia præcipiti lapsu de Libano derivari in subiectos hortos, & valles. Quid hoc mysterii contineat, ostendit præclare Richardus Victorius ibi. De Libano fluxerunt aquæ istæ, id est, de Christo, quando Spiritus sanctus tanquam torrens discipulis influxit, & suavi eos ubertate bonorum inebriavit (pulchra quidem verba, sed non minus pulchra subtexit) Et quando Christo in cæna benediciente panem, Sacramentum Eucharistiæ celebrare cepit. Utrumque adlociavit, & vinum divini amoris generosum, & Eucharistici Sacramenti vinum diviniissimum. Hæc fluentia, tamen à Christo deriventur; sed illorum fons & puteus Maria extat, ad quam spectat eos latice dispensare: ut enim S. Bernardus Senensis tom. 1. Serm. 52. loquitur: A tempore, quo concepit Virgo Deum in utero suo, quamdam (ut sic dicam) jurisdictionem, seu auctoritatem habet in temporali missione spiritus sancti; qui est Dei amor personalis. Eandem in Filii sui sanguinem, jurisdictionem habet; imò majorem, cum Mater Christi sit patriam in ipsum potestatem habens: unde sanguinem Eucharisticum, suum ipsa vocat Prov. 9. 5. Quin & crateras sanguinis Christi in sacra Synaxi interpretatur mammas Deiparæ, S. Germanus in Theoria rerum Eccles. Hoc igitur sanguine fecundissimo potatum & inebriatum Mariæ viridarium, semper virentibus herbis, venustissimis floribus, & fructiferis arboribus vestitur, ornatur, ditatur. Dicam igitur potiori de Ecclesiastico Mariæ imperio, quod de Romano Tertullianus lib. de Pallio. c. 2. Revera orbis cultissimum hujus imperii jus est constitutum, & amantè super Alcinoi pomatum, & Medæ rosetis.

Cant. 4. 15.

Richard. Victoriu.

S. Bernard. Senensis.

S. German.

Verf. 43. Et ecce factus est mihi trames abundans, & fluvius meus appropinquavit ad mare.

Verf. 44. Quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus; & enarrabo illam usque ad longinquum.

Verf. 45. Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.

ARGUMENTUM.

Evangelica doctrina incrementum, ubertas, progressus.

EX jugi illo Christianæ Sapientiæ profusio, perennique irrigatione, quæ non sequerentur in dies commoda? En tibi ex parvis Apostolica prædicationis initiis maximum incrementum, ubertas maxima, ac penè incredibilis progressus: quippe Evangelicæ doctrinæ trames ad eam pervenit copiam, P. Aldeph. de Flores in Eccles.

ut ex tramite in fluvium, & ex fluvio in ipsum excreverit mare. Cujus rei illa commoda assignatur sub diversa metaphora ratio; quòd Christiana doctrina ad instar sit matutinae lucis quaquaversus suum diffundentis splendorem; quæ successivè progrediens extrema quoque terræ, ac profundissima, fugatis tenebris, illuminet. Nimirum, doctrinâ Evangelicâ illustrarunt Christus & Deipara vel longinquas Orbis partes, & Gentiles profundissimo peccati somno, densisque errorum umbris conspultos.

TEXTUS ENODATUS.

Figur. 2373 **T**igurina legit: Aqueductus ecce meus evasit flumen, & flumen meum in mare excrevit: quoniam disciplinam illumino ut diluculum, & in multum tempus illustro eam. Imas omnes terrae partes penetra, dormientes video quoscumque, & spem in Domino ponentes omnes illumino. Versus 45. desideratur in Syro, & in Textu Graeco, qui nunc extat. Syrus transfert: Ecce etiam fuit mihi torrens, & fluvius meus peringit usque ad mare. Rursum doctrinam meam mane dico, & relinquam eam in generationes multas, vel potabo ea generationes multas. Camerarii translatio sic habet: Ibi mei rivuli excreverunt in torrentes, & flumina mea in lacus amplissimos; nam mea doctrina tam late luget quam serenum mane, & radios sparsit longissime. Aliae translationes penè consonant Tigurinae.

Sensus verborum de eximio doctrinae Evangelicae incrementum. Psalm. 18.

Isai. 11. 9.

Hab. 2. 14.

Palacius

Lyranus.

Interline.

Evangelica doctrina progressus & incrementum, instar Solaris lucis, per totum orbem

2374 Circa sensum Versiculi 43. conveniunt Interpretes sacri, sermonem esse metaphorice de eximio Evangelicae doctrinae ex parvis initis incremento mediâ Apostolorum virorumque Apostolicorum praedicatione, quorum sonus exivit in omnem terram, & in fines orbis terra verba eorum. Psalm. 18. Erat initio ad instar traminis, seu fossae, sive aqueductus; crevit instar copiosissimi fluvii, ac denique ita in immensum exaucta est, ut videatur esse mare totum orbem cingens & ambiens. Quod Isaias praedixerat cap. 11. v. 9. Repleta est terra scientia Domini (id est, doctrinâ praedicationis Evangelicae) sicut aquae maris operientes. Et Habacuc 2. vers. 14. Replebitur terra, ut cognoscant gloriam Domini, quasi aquae operientes mare. Id est, sicut aquae copiosae, & fluctus exaestuant, & ebulliunt supra mare, ut superfluant, & terras vicinas inundent. Et hoc illud est quod Siracides ait: Fluvius meus appropinquavit ad mare: seu in mare excrevit; vel evasit in mare. Ubi rectè Palacius: Docent non fuisse sterilem praedicationem Evangelii, sed quod abundavit, & facta est velut mare. O rem mirabilem! stuebat doctrina Evangelica, & in ea quodammodo Spiritus & Christus: obstabant huic fluxui omnes daemones, Imperatorum, militum, & totius Orbis vires extantae: at his omnibus invitis, ut mare totam vallat, & circumdat terram; ita vita Christiana & ipse Christus totum circumdedit orbem. Lyranus ita explicat de doctrina Evangelica, ut fluvius dicatur, qui ad mare appropinquavit; Id est, ad multitudinem Gentium, & populorum; nam mare est congregatio aquarum, & Apoc. 17. dicitur, Aquae multi populi multi. Hanc autem praedicationem injunxit Christus Apostolis Act. 1. dicens: Eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judaea, atque Samaria, & usque ad ultimum terrae. Similiter explicat Interlinealis: Appropinquavit ad mare, usque ad finem terrae, scilicet.

2375 Subinde, versus 44. elucidatio quaedam est proximè antelapsi versiculi: Quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus; & narrabo illam usque ad longinquum. Pro antelucanum, Graecè est ὀφθαλμὸν diluculum, seu lux diluculi vel aurorae, quae ab exortu suo splendens procedit & crescit usque ad meridiem.

Quo lucis progressu & incremento, doctrinae Evangelicae progressus & incrementa designantur, quâ omnes illuminantur Nationes, vel longissime quoque distitae, fugatis errorum tenebris; id enim est doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus; id est, eam omnibus clarâ, & perspicuam facio & exhibeo, quomodo matutinum lumen subito post tenebras sol exhibet, spargens illud successive, & augens per totum orbem. Unde Camerarius illa lectio: Nam mea doctrina tam late luget, quam serenum mane, & radios sparsit longissime. Quod Syrus explicat: Relinquam eam in generationes multas, vel potius, Potabo eam generationes multas. Et rectè Palacius explicat ita: Dixerat, quod ejus fluvius appropinquavit ad mare: quæris quomodo? Scilicet quia profero doctrinam meam omnibus juxta illud, praedicebatur hoc Evangelium in universo orbe; ac ideò narrabitur usque ad longinquum. Planè usque ad eas regiones, quarum nulla hactenus habebatur notitia. Nec minus rectè Fuldenis Abbas Rabbanus, quem audi. Illuminata doctrina à vera luce, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, à sole justitiae, ipsoque oriente, de quo scriptum est: Visitavit nos oriens ex alto. & alibi, Ecce vir oriens nomen ejus; facit suam doctrinam enarrari in longinquum; hoc est, in finibus orbis, ut omnes cognoscant veritatem ad salutationem humani generis venisse.

2376 In enucleando 45. variant Expositores sacri. Communis interpretatio est de Christi Domini descensu ad inferos, qui non contentus longinquas quasque orbis partes, & gentes omnes in superficie terrae degentes illustrasse, penetravit etiam profundissima damnatorum loca, nec non lymbum, & purgatorium, ubi peccatoribus terrori fuit, & justis lux, vitaeque, dum universis peractam à se generis humani redemptionem, reportatofque ex Lucifero triumphos manifestavit, eoque illuminavit lumine gloriae, beavit & aeterna felicitate donavit. Quod ad animas in purgatorio existentes extendunt quoque non pauci ex Doctoribus. Unum audi Palacium. Non contenta Sapientia per se, & Apostolos Orbem terrarum visitasse, & illuminasse, descendit etiam ad inferos. Ubi aspectu terribili respexit damnatos & visitavit & illuminavit lumine gloriae suae omnes, qui ibi sperabant in Domino. Nota primum, ipsam Sapientiam junctam animae in triduo mortis penetrasse omnia receptacula inferni; ait enim: Penetrabo omnes inferiores partes terrae. Nota 2. terribili formâ ostendisse se damnatis; hoc enim significat; Inspiciam omnes dormientes, juxta illud, Qui respicit terram & facit eam tremere. Psalm. 103. vers. 32. Ne verò putaretur, se terrifico vultu pios inspexisse, addit, quod illuminabit vultum suum sperantibus in Domino. Nota 3. lumine gloriae illuminatos pios in lymbo, ubi etiam latro eo die fuit, in paradiso, id est, vidit lumen gloriae; id notat verbum illud illuminabo. Nota 4. etiam animas, quae tunc erant in purgatorio, eo fuisse lumine gloriae perfusas; nam ait; illuminabo omnes sperantes in Domino.

2377 Hæc interpretatio etsi expedita sit, & communior apud Interpretes Ecclesiastici, & Theologos Scholasticos, alia etiam, ut genuina & propria, admittenda est, quam in argumento praefiximus, de potentissima do-

Camer.

Syrus. Palacius;

Versus 45. enucleatio.

Palacius.

Pl. 103. 323

Notra Interpretatio

Arinae Evangelicae virtute, quae talis est, ut homines quosque profundissimo peccatorum somno, densisque errorum tenebris consepultos excitet, & illuminet. Favet Fuldenis Abbas: Penetrat inferiores partes terrae, quoniam carnalium corda & cogitationes scrutatur. Inspicit omnes dormientes, qui vel ignorantia somno, vel torpore negligentia dormitant; & illuminat rectâ fide & agnitione sperantes in Deo. Consonat Interlinealis Glossa. Et quidem hæc interpretatio genuina est & contextui consona; cum enim de Evangelicae doctrinae incremento, & progressu in omnes mundi plagas sermo esset, explicatur deinde eo vers. 45. quomodo perspicua Christi notitia penetratura & illuminatura esset vel infima terrae ipsa, Gentilitatem nempe, & Gentiles dormientes sub umbra mortis: ad quos Paulus aiebat Ephes. 4. 14. Surge qui dormis, & exurge à mortuis: & illuminabit te Christus. Et de quibus David Psalm. 67. 7. Qui educit vincitos in fortitudine; similiter eos, qui exasperant, qui habitant in sepulchris. Quod verò Gentiles appellentur, sperantes in Domino, testantur sæpè Prophetae. Hais 42. 4. Legem ejus insula expectabunt. LXX. quos sequitur Matthæus cap. 12. 21. In nomine ejus Gentes sperabunt. Et cap. 51. 5. Me insula expectabunt. Unde Genes. 49. 10. vocatur Christus expectatio Gentium. Quod de Christo dictum est, dicendum de Maria similiter secundario sensu. In utriusque verò gratiam textum jam dilucidamus.

Rabanus

Ephes. 4. 14.

Pl. 67. 7.

Isai. 42. 4.

TEXTUS ILLUSTRATUS

De Christo Domino.

SECTIO IX.

Christus solis instar praefulgens, vel barbaras quasque, distitasque Nationes illuminat nitidissimâ Evangelica doctrina luce.

2378 **H**oc certè abundè probant verba ipsiusmet corporatae Sapientiae jam enodata. Aliunde & illis, & instruto nostro splendorem conciliemus solidè & amoenè. Malachias 4. 2. agens de primo Christi adventu (ut volunt Chryostomus, Theodoretus, Isidorus, & Montanus apud Castrum nostrum) Orietur vobis, proclamat, timentibus nomen meum sol justitiae, & sanitas in pennis ejus. Matutino soli exorienti comparatur Christus. Ut enim sol exorienti nebulas discutit, dissipat tenebras, serenat caelum, suos rebus omnibus colores restituit, amicam lucem omnibus indit, beneficam auram mundo allat: sic Christus, vel ab exortu suo, omnibus salubris, & vitalis errorum tenebras fugavit, & caliginosam idololatriæ noctem in splendidissimam veritatis diem convertit, uti verissimus justitiae, puritatis, misericordiae, & victoriae sol; sic enim vox justitiae transferenda. Sed qua id ratione factum, quæris? Planè. Dum sanitas in pennis ejus circumfertur. Pennas vocat nitidos ipsius solis radios, quibus ceteri volatu omnia lustrat & illustrat. Arabicus & Syrus vertunt: & sanitas super linguam ejus. Arcanè conjunguntur splendentes pennae, seu calami, & lucidae linguae; ni me fallo, ut sacrum Dei verbum, Evan-

Matutino Soli exorienti comparatur Christus, pergens omnia illuminaturus doctrinâ suâ. Mal. 4. 2.

Sanitas super linguam ejus.

gelicae doctrina & ore & calami efformata designaretur. Ecce tibi Sol justitiae & misericordiae splendens; ecce sermonis radios, ut aiebat Nazianzenus Orat. de Pace. S. Nazian. Ecce dispersas linguas tanquam ignis, id est, lucidas, claras, nitidas, resplendentes, datas Evangelicis Praedicatoribus Act. 2. 3. Ecce quod Tertullianus aiebat lib. de Resurrect. Carnis cap. 47. Ut ipsius solis radio putem scriptum. Ecce quod Psaltes Canonici Scriptor praedicebat Psalm. 44. Lingua mea calamus scribae velociter scribentis. Nec mireris splendidas linguas & calamos: nam Solinus Polyhistor pag. 68. tradit, in saltu Hercynio aves quaedam reperiri, quarum pennae noctu miros ex se splendores emittunt, atque illis homines ut ad praesidium itineris dirigendi. Et Plinius lib. 9. cap. 27. scribit in summa maria piscem lucerna, appellatum; cujus lingua per os exerta tranquillibus noctibus relucet. Quid mirum & Christi linguae, & pennatis calamis splendens concedamus supra Solis radios fulgentiores, quibus à fine ad finem, à caeli verticibus extremos ad usque terrae margines, & profundissimas ipsius voragine peringat, & penetret. Etenim Prophetica, Apostolica, & Evangelica dicta & scripta Christo tanquam praecipuo loquenti & scribenti tribuenda sunt. Ipse in illis ut sol misericordiae summopere resplendet, & quaquaversus splendores emittit, & animorum sanitatem circumfert: & sanitas in pennis, in lingua ejus. Ut enim Sapient. 16. vers. 12. Tuus Domine sermo Sapient. 16. vers. 12. sanat omnia. Et Pl. 106. v. 29. Misit verbum suum & sanavit eos.

Sermonis radii.

Splendida lingua & calami. Pl. 44.

Lucerna piscis.

Luc.

Lux Pastoris. bus exortis in natali Domini unde & quid portendoret.

S. Beda.

stella Magos. Illuminans Lingua fuit Christi splendida.

2379 Commendaverat Evangelista Lucas viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. Graecè, sol oriens ex alto. Celebrat postea Verbi infantis natalem, qui Evangelium suum, illic ab exortu suo, praedici voluit ab Angelo humilibus pastoribus. Ecce evangelizo vobis gaudium magnum. Certè prima hæc Evangelica praedicationis non absque divinissima luce, quae pastores circumfulsit, peracta est: & claritas Dei circumfulsit illos. Lux quidem ex illo misericordiae sole recens nato in homines enata; ut demonstraret Evangelica doctrina lucis instar splendens nitida & clara à Christo enascitura; imò à sacris literis, in quibus Christi magnalia continentur. Nam de pastoribus arcanè dictum: Invenimus Mariam & Joseph, & infantem positum in praesepio; videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis. Ubi argutè V. Beda: Reperiunt Virginelem Ecclesiae pulchritudinem quasi Mariam; virilem spirituum Doctorum caetum quasi Joseph; & humilem Christi adventum Scripturae paginis insertum, quasi in praesepio positum Christum infantem. Gentes, quae Christi illuminatae doctrinâ ad Ecclesiae gremium advolarunt, inveniunt corporatum Dei Verbum inspirato Scripturae verbo insertum; agnoscunt unde illis tanta lux affulserit.

2380 Illo eodem tempore, quo pastoribus Angelus apparuit evangelizans, apparuit etiam tribus Magorum Regibus in oriente, ut relictis regalibus Soliis, pauperculum puerum in praesepio adorarent: Vidimus stellam ejus in oriente, & venimus adorare eum. Quae hæc tam fulgida stella Christum annuncians, G g g 4 Magos